

070

068

074

064

079

059

119

019

169

569

Ende

Anfang

59

pulli arte de ovis educti currunt post homines tamquam post gallinam. Unde eos dicens tenet manu virgam longam, in cuius summitate manipulum pennarum habet alligatum, sicut illi, qui volunt mundare altos parietes. Cum illa ergo virga praecedunt gregem pullorum, et eum ea terram viae, per quam pullos ducere intendit, everrit tanquam scopans, et everso pulvere accurrunt gallinae, galli, parvi et magni, et grana quaerunt, et ita continue sequuntur et currunt post illum, qui continue cum pennis pulveres (95 a) everrit, sique simul et simul dicit ad forum quendam ultra quingentos pullos, nec fugiunt ab illo, etiam hominibus aut jumentis occurrentibus. Et quamvis id fictitium videri possit, tamen revera ita sese habet. Nimirum animalia illa, quae humanae artis industria excubantur, disciplinabiliora sunt his, quae secundum naturae suae speciem generantur; sequuntur enim homines sic, ut pulli suas matres.

Sic etiam ipsas columbas mira nutriendi arte, ita, ut de pastu revertentes non nisi ad suas fenestras volent et alias secum ducant, et nunquam extra diutius maneant, sed cum festinantia ad sua loca revolent, etiamsi per multa millaria extra terram eductae fuerint. Unde si quis in cavea X vel XI plures aut pauciores columbas eduxerit per longa terrarum spatia, et ibi eas emiserit, mox in suum columbarium revertentur, et ideo columbae in Oriente sunt nuntiae regum et portatrices litterarum, et nonnumquam eis mediantibus prodiciones regnum et civitatum fiunt, et est in practica quotidiana, unde tempore querrarum habetur singularis respectus, ut volantes columbae solitariae captiventur, et ad hoc nutriendi et domesticantur accipitres et faltones et contra columbas emittuntur, et nobiles talia volatilia in exercitu secum portant ad spoliandum columbas. Accidit enim anno Domini 1099, quando exercitus Christianorum de Occidente mare transito ascenderunt contra Jerusalem civitatem sanctam, ut eam de manibus gentilium eriperent, dum adhuc in Palaestina juxta mare essent; quaedam columba volavit super exercitum cruce signatorum, quam quidam nobilis videns emisit contra eam accipitrem, qui egressus eam cepit, et unguibus palpitatione strinxit; verum de unguibus columba se excussit, et deplumata ac vulnerata volare non potuit, sed in terram lapsa fuit, quam socii in exercitu ceperunt, et sub alis ejus alligatam litterulam invenerunt, hanc sententiam conti-

